



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Marci Euangelio. Cap. XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EVSEBII HISTORIAE

à diuino & admirabili fulgore, oculis mentis penitus per-
 strictus, ex templo (cum iam antea in illis sceleribus, quæ
 nefarie & perditè consciuerat, à Petro Apostolo, in Iu-
 dæa manifesto deprehensus fuisset) longissimum iter
 terra mariq; instituens, ab oriente ad occidentem vsque
 quasi profugus vagatus est, istumq; viuendi modum so-
 lum sibi ex sententia fore arbitratus. Sic tandem ad urbem
 Romam profectus (cum iam ibi diabolica vis & poten-
 tia ad hominum perniciem assidue excubans magno sub-
 sidio illi veniret) breui suum institutum eousq; perdu-
 xit, vt ab illis statua in eius venerationem erecta, hono-
 raretur, vt Deus.

De Petri Apostoli in vrbe Roma prædicatione.

CAP. XIII.

CAeterum ista nõ ad longinquum temporis spatium
 ex sententia illi processerunt. Nam è vestigio, sub
 ipso Claudij imperio benigna & propitia Dei totius hu-
 ius vniuersitatis rectoris erga humanum genus, providen-
 tia, fortem ac præpotentem, & reliquorum omnium A-
 postolorum propter virtutis amplitudinem facile prin-
 cipem Petrum, Romam versus ad eiusmodi pestiferam vi-
 tæ humanæ corruptelam delendam quasi manu deduxit.
 Qui quidem, vt pote generosus & strenuus Dei dux, di-
 uinis armis obtectus munitusq;e, eximiam & pretiosam
 tanquam mercaturam veri luminis, mente sola compre-
 hensi, ab oriente ad occasum vsque deportauit, ipsamq;
 regni cælorum prædicationem, cælestem scilicet lucem
 & salutarem animorum doctrinam palam diulgauit.

De Marci Euangelio. CAP. XIII.

Sic ergo cum diuinus sermo iam ad Romanos perua-
 sisset, Vesana Simonis potentia extincta est, & homo
 ipse actutum vnà penitus profligatus. Ac tanta pieta-
 tis lux eorum mentibus, qui Petrum audiebant affulsit, vt
 non eius sermoni omnino auscultando, non doctrinæ
 diuinæ prædicationis, minime scriptis, proditæ atten-
 dendo contenti acquiescerent: Sed à Marco. Petri co-
 mite (cuius euangelium esse fertur) multis varijsq; præ-
 cibus contenderent, vt monumentum illius doctrinæ,
 quam

quam sermone & verbo illis tradidisset, etiam scriptis mandatum apud eos relinqueret. Nec prius hominem ab se dimittunt, quam ipsorum postulatis obsecutus, opus absoluisset. Hanc igitur euangelij scribendi secundum Marcum causam fuisse memorant. Cum ergo Petrus Apostolus diuina spiritus sancti reuelatione suggerente, intelligeret illud opus editum esse, ferunt eum propenso & acri illorum hominum studio magnopere fuisse delectatum, hancque scripturam autoritate sua ratam fecisse, quò in ecclesijs passim perlegeretur. Clemens in sexto item libro ὑποτυπώσεων, (cui etiam testis accedit Papias Hierapolitanus episcopus) eandem tradit historiam. Constat porro Petrum huius Marci mentionem facere in priore epistola, quam Romæ textuisse dicitur: quam quidem epistolam ibi perscriptam ostendit, dum ciuitatem illam verbi translatione Babylonem appellat, hoc modo, Salutat vos ecclesia nostræ electionis consors, quæ est Babiloni, & Marcus filius meus.

5. cap.

Quod Marcus cognitionem Christi Aegyptijs primus prædicauerit. CAP. XV.

Aunt præterea hunc Marcum primum in Aegyptum traiecisse, & euangelium, quod ipse conscripserat, illic prædicasse, primumque ecclesiarum Alexandria institutarum authorem extitisse. Atque tanta hominum & mulierum fidem Christi amplexantium ex prima aggressionem & conatu, per graue in primis sanctum & seuerum eius viuendi exemplum ibi cogebatur multitudo, ut Phalo ipse eorum studia, exercitationes, mores, frequentes congressus, communem inter ipsos victus rationem, omnem denique viuendi institutionem, suis scriptis persequi operæpretium existimaret. Quæ Romæ sub Claudij dominatu, fama est in colloquium Petri, qui Romanis eodem tempore verbum Dei prædicabat, venisse. Atque illud quidem est plane verisimile: quippe opus, quod deinceps post aliquod temporis spatium ab eo dicitur elaboratum, ecclesiæ reuera canones ad nostram usque memoriam obseruatos complectitur.

Que